

damentaliter; fundatur enim in unione ad Verbum, quia talis natura seu actio est digna, ut æstimetur, seu honoretur infinite.

XXXVI. Ad quartam difficultatem respondetur variis modis intelligi posse, quod suppositum informet, aut jungatur suæ actioni, (relicta illorum opinione, seu potius imaginatione, qui dicebant operationes Christi satisfactorias non esse simplices operationes, sed compositas ex operatione divina et humana, sicut ex actione imperante et imperata fit una actio in genere moris, quia Verbo unito humanitati naturaliter ejus operationes subdebantur ut ortæ ab illo) relicta ergo hac imaginatione, quæ valorem tribuit actionibus Christi, non ut præcise conjunctis supposito, sed ut conjunctis actioni divinæ (quod bene impugnatum. Cabrera disp. v. n. xci) variis modis intelligi potest talis conjunctio, aut informatio suppositi cum actionibus. Nam primo, suppositum se habet ut operans quod, et actus ut egrediens ab illo: secundo, actio præsertim immanens habet unionem saltem mediatam ad Verbum, sicut unum ex accidentibus ejus: tertio, suppositum induit rationem objecti, seu materiæ circa quam versatur ipsa actio, quatenus per actus reflexos Christus seipsum offert, et humiliat Deo.

XXXVII. Itaque suppositum, et influere potest infinitatem per modum objecti actionis reflectentis supra ipsum suppositum, et per modum subjecti sustentantis actiones, et per modum producentis efficienter illas ut quod, et per modum sanctificantis formæ, qua humanitas sanctificatur, et per consequens omnes ejus operationes redduntur valoris infiniti. Et non negamus omnes istos modos inveniri de facto in supposito, ut per illos conjungi intelligatur actionibus Christi, licet

non in omnibus secundum omnes modos, et per illos influere intelligatur, seu communicare illis dignitatem suam. Sed quæstio, et difficultas est, quisnam modus ex illis requiratur, aut sufficit, ut valor iste, et dignitas communicetur.

XXXVIII. Et in hoc divisi sunt theologi. Quidam attribuunt valorem supposito, ut sanctificanti humanitatem, sicut pater Vasquez supra impugnatus, faciens humanitatem principium quod operationis satisfactivæ, quatenus deitate sanctificata humanitas operatur. Et aliqui putant hanc satisfactionem solum per extrinsecam denominationem actibus Christi convenire. Alii existimant a supposito, ut efficienter operante provenire istum valorem, non quia solum se habeat ut principium terminans naturam, et operationes ejus, sed ut aliquid influens in ipsas operationes. Alii existimant non quamlibet actionem Christi esse dignitatis infinitæ, sed solum actiones illæ, quæ reflectuntur supra ipsam Personam, et humiliando illam Deo includunt illam tamquam materiam, et quasi partem sui; et sic ab ipsa ut inclusa in actibus, tamquam res humiliata, et oblata Deo, accipiunt actiones illæ infinitam dignitatem.

XXXIX. Hæc est sententia magistri Asturicensis, in relectione de gratia Christi, pagina 327, qui docet, quod qui alteri satisfacit, non solum operationem suam, sed etiam seipsum alteri subjicit; et videmus quod non in omnibus actionibus dignitas personæ refunditur in actiones: sicut videmus quod actio comedendi pretiosum, non est majoris valoris genuflexio, seu humiliatio ducis, quam militis. Quod non est ob aliud, nisi quia in illa prima actione non fit aliqua subjec-

tio, seu humiliatio personæ, sicut in secunda, et ita valor satisfactionis includit, non solum subjectiorem actionis, sed etiam personæ in ordine ad alterum. Itaque apud Asturicensem, infinitas satisfactionis non sumitur solum ex persona extrinsece considerata, et per modum agentis, sed prout ingreditur satisfactionem quasi pars ejus intrinseca, quatenus satisfaciens se subjicit ei, cui satisfacit, ut expresse ponit pagina 337.

XL. Addit tamen, quod cum in actionibus Christi concurrerit quadruplex formalitas, scilicet, sacrificii, satisfactionis, sanctificationis seu meriti, et redemptionis; formalitas redemptionis accipiebat infinitatem non ex persona operante, sed ex re oblata, seu pretio, ita quod si per impossibile offerretur a persona finita illa effusio sanguinis, quæ erat pretium, et res oblata, sufficit ad redemptionem. E contra vero satisfactio, sacrificium, meritum, ex personæ operantis dignitate sumebatur, quatenus non solum operabatur, sed seipsum etiam operando subjiciebat Deo, sic enim satisfaciebat. Unde idem erat valor operantis, et rei oblatae, distincto tamen modo concurrebat ad rationem redemptionis, et ad alias rationes. Eandem sententiam Asturicensis tenet Nazarius hic controversia II, in prima parte controversiæ.

XLI. Nihilominus verius existimo, quod omnis actus virtutis in Christo dignificabatur in morali æstimatione dignitatis personæ, per hoc solum, quod erat actus ab illa persona egrediens, et in se capax moralitatis; atque ita respectus ille realis, quo ille actus respicit personam, ut principium a quo procedit, et ut est aliquid illius, est ratio qua moraliter dignitas personæ illi communicatur, et consequenter reddit actum dignum infinite, quia mora-

liter non ponit in numero actio ipsa cum persona.

XLII. Ratio, quæ principaliter me movet ea est, quia quicumque actus virtutis, etsi non sit actus reflexivus supra personam, sed verbi gratia, actus jejunii, aut actus amoris, vel beneficentiæ, hoc ipso quod procedit a subjecto grato redditur meritorius; ergo dignitas subjecti sine aliqua reflexione, per hoc solum, quod egreditur a principio dignificato communicatur ipsi actioni. Consequentia est manifesta, quia actus non potest esse meritorius, nisi habeat dignitatem a subjecto merente, quia in omni merito verificatur, quod prius respicit Deum ad personam, quam ad ejus actionem, juxta illud Gen. iv: *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus*, ut communiter explicant theologi, et specialiter S. Thomas xxvii de veritate, art. iv: unde si actus est meritorius, necessario est dignificatus a subjecto operante.

XLIII. Antecedens autem probatur, quia quilibet actus virtutis in subjecto grato est meritorius, cum sit opus bonum factum per gratiam Dei ab homine justo. Constat autem nihil amplius requiri ad meritum, nam ut definit Tridentinum sess. vi, can. xxxii: « Si quis dixerit ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, etc. anathema sit. » Cum ergo quilibet actus virtutis, etiam si non reflectatur supra personam, sit bonum opus, si factum est ab homine grato, sine dubio meritorius est, eique communicatur dignificatio, et valor ad meritum requisitus ex parte subjecti.

XLIV. Ex quo ulterius sit, quod si potest aliquis actus sufficienter participare valorem, et dignitatem a

persona, ut sit meritorius sine reflexione supra personam, ergo etiam ut sit satisfactorius, poterit participare valorem, et dignitatem a subjecto grato, consequentia patet; tum, quia non videtur magis requiri ad participandum dignitatem subjecti in merito, quam in satisfactione; tum, quia quilibet actus virtutis satisfactivus esse potest, cum procedat a principio habente valorem, et in illo offerat creditori aliquid, quod placet æque, vel multo magis, quam odit offensam; quod ad propriam satisfactionem sufficere docet D. Thomas distinguens illam a merito, infra quæst. XLVIII, art. II; tum denique, quia si aliquis actus Christi potest esse meritorius infinite sine illa reflexione supra personam, potest ergo nobis mereri gratiam, et remissionem peccatorum de toto rigore justitiæ, quod est perinde, ac satisfacere ad æqualitatem pro nobis; denique, quia omnis actus bonus moralis hoc ipso quod procedit a Persona divina, licet illam non subiciat, et humiliet per actum quasi reflexum, est actio theandrica, id est, actio Dei hominis, utpote a Deo homine procedens; ergo est pluris valoris, quam actio hominis puri, quantumcumque justus, et consequenter plus satisfactiva, quam actio hominis puri.

XLV. Ad motivum autem Asturicensis respondetur, quod actus comedendi talem cibum in duce, vel in milite, est ejusdem valoris, si sumatur secundum se, et absolute; nec enim pertinet ad comestionem, ut talis est dignitas moralis, sed est officium, seu actus nutriendi naturam, quod æque inveniri potest in duce, et in milite. At vero actiones, etiamsi non subiciant personam, possunt habere diversum valorem in duce, et in milite, ut actio dandi beneficium, vel laudandi alium, quæ plus æstimatur, ut procedit a rege,

quam ab infimo homine; et in illa non se subicit, sed potius ut superius se gerit. Nec tamen negamus quin actiones Christi offerentes ipsum, et humiliantes habeant etiam infinitatem ex re oblata, quæ est pretium infinitum, sed tamen hæc res oblata, licet sit infinita in se, si tamen non procedat a supposito infinito, habet rationem redemptionis, et satisfactionis infinitæ, ut patet in oblatione, qua in templo oblatus est Dominus a matre, et a Simeone, et quotidie a sacerdotibus in altari; et tamen oblatio illa non est simpliciter infinita, quia non fit ab ipso supposito infinito.

XLVI. Dico ultimo: Suppositum non tribuit infinitatem operando, vel influendo aliquid in actionem, condistinctum ab influxu, quo humanitas influit, sed terminando naturam, et concurrente ut quod mediante ipsa natura, et potentiis ejus ut principio quo, sic redditur illa actio infinita per realem dependentiam, et egressionem, qua egreditur a tali supposito; talis enim realis respectus est moralis unio, seu conjunctio ad dignitatem infinitam in actione, quæ capax est moralitatis.

XLVII. Hæc conclusio in superioribus fere explicata est, et probata. Constat enim, quod suppositum Verbi, præter terminationem ad naturam, non influit aliquid realiter in eam; talis enim influxus est communis toti Trinitati, utpote ab omnipotentia procedens. Constat etiam, quod per dependentiam, et egressionem illam realem illa actio dicitur unita Verbo, et esse aliquid ejus, sicut humanitas. Constat etiam quod natura, quæ est capax moralitatis, et satisfactionis per solam unionem sanctificatur a Verbo; quod non habet naturam, quæ non est capax: ergo similiter actio capax moralitatis procedens a Verbo dignifi-

catur per hanc unionem, seu egressionem ab ipso, et si non capax, non dignificatur; nec enim amplius requirit actio ut dignificetur quam humanitas; si ergo hæc per solam unionem sanctificatur, similiter actio. Et sicut gratia inhærens in anima per inhæSIONEM, et unionem physicam reddit illam sanctificatam; si vero per potentiam absolutam Dei poneretur inhærens in lapide non sanctificaret illum: sic eadem persona, unita humanitati per unionem physicam sanctificat illam, non vero unita naturæ leonis, et actio moralis egrediens a tali persona sic unita, et consequenter per egressionem, et realem respectum ei conjuncta dignificatur, et sanctificatur; non vero actio naturalis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XLVIII. Ex quibus facile solvi possunt quæcumque difficultates in oppositum. Nam quod dici solet de infinitate simpliciter, quæ non potest multiplicari, nos autem debemus ponere omnes actiones Christi infinitas, quod est infinitates multiplicare. Facillimam habet explicationem, quod infinitas simpliciter in genere entis non potest multiplicari; bene tamen infinitas in genere determinato, scilicet in ratione valoris moralis, aut sanctificationis. Sicut enim si multæ humanitates Verbo unirentur, omnes ab eo sanctificarentur; sic si multæ actiones ab eo procedunt, omnes dignificantur infinite.

XLIX. Item quod posset difficultatem facere, quomodo terminatio personæ infinitæ det infinitatem actui; tum, quia libere confert illam dignitatem actibus, atque adeo potest majorem et minorem conferre, et non semper infinitam; tum, quia

per elicentiam ipsam humanitatis limitarentur, ne infinitum valorem haberent; tum denique, quia iste valor est extrinsecus actibus, et excedens; ergo instrumentaliter illis convenit; et consequenter ex aliquo peculiari influxu divini suppositi, et non ex nuda terminatione.

L. Hæc omnia ex dictis etiam solvuntur, quia non est existimandum quod ipsa persona per aliquam actionem, libere elicitam a se, communicet humanitati, vel actioni, aliquam perfectionem seu valorem infinitum: crassa enim est hæc intelligentia: sed quod ipse actus per hoc, quod unitus, seu realiter dependens, et egrediens a principio infinito tamquam ab immediato principio quod, remanet infinite æstimabilis. Unde licet fuerit liberum Deo se unire humanitati, et actioni, non tamen facta hæc suppositione est liberum, quod humanitas ipsa, vel actio non sit infinitæ æstimationis, quia hoc solum consistit in eo quod est esse unitam principio infinitæ sanctitatis, unde non est major, aut minor.

LI. Nec etiam limitatur per elicentiam humanitatis, quia hæc elicentia limitat quidem speciem et quantitatem physicam operationis, quam elicit, non tamen unionem ipsam esse terminatam ad principium dignitatis infinitæ, in quo ejus æstimatio infinita consistit, non in physica entitate, aut specie ejus. Ac denique iste valor licet sit extrinsecus, non tamen instrumentaliter actioni conveniens, quia non elicitur mediante virtute impressa a Verbo, sed ex unione ipsa, et conjunctione ad Verbum proveniens. Sicut enim sanctificatio humanitatis extrinsecus valor est, proveniens ei non instrumentaliter, sed ab unione cum Verbo; ita et dignificatio actionis extrinsecus valor est, proveniens ei non instrumentaliter, sed ab unione,

egressione, seu dependentia reali a Verbo.

LII, Denique inquire: Si dignitas personæ dignificat actionem, et communicat illi valorem, seu æstimationem; ergo in homine justo crescente gratia, crescet dignitas in actibus; et sic si actus sint æqualis intensionis, ex eo solum quod unus procedat ab homine magis justo, quam alter, erit magis meritorius.

LIII. Respondetur, quod gratia habet duo officia; alterum est dignificare personam, et exinde actionem; alterum influere in actum, tamquam principium quo, sicut anima in cuius essentia est, mediantibus tamen suis virtutibus; si ergo major gratia influat ut principium quo, majori conatu in actus, non est dubium quin sint illi diversi meriti. Sed in casu proposito quod actus æqualis conatus, et intensionis, dico, quod dignitas major gratiæ in ratione dignificantis personam non reddit actum magis meritorium, et dignificatum ea dignitate, quæ provenit a persona, quia licet gratia intensior reddat personam magis gratam, et acceptam Deo in ratione sanctitatis, et justitiæ; in ratione tamen dignitatis ad meritum est dignitas ejusdem rationis, et solum accidentaliter variatur per hoc quod gratia sit major, quia dignitas merentis consistit in hoc quod consors fiat homo divinæ naturæ, et adoptetur in filium Dei, ut dicit S. Thomas 1-2, quæst. cxiv, art. iii. Hæc autem dignitas ejusdem æstimationis moralis est personaliter, licet gratia physice, et accidentaliter crescat, quia eadem adoptio filiorum est in omnibus, et eadem ratio consortii divinæ naturæ. Unde si actus sunt æquales in perfectione propria ex dignitate hac non trahunt majorem æstimationem in dignitate morali, sicut trahunt ex supposito divino, a quo non habent filiationem adoptivam,

sed naturalem, et dignitatem Personæ divinæ.

ARTICULUS II.

Utrum omnes conditiones rigorosæ justitiæ intervenerint in satisfactione Christi Domini?

I. Satisfactionem Christi perfectam esse ex parte pretii, et rei oblatæ sufficienter manebit probatum, ostendendo satisfacisse de toto rigore justitiæ. Et ut breviter difficultatem ipsam discutiamus, discurrendo per omnes conditiones requisitas ad rigorem justitiæ, sit

Conclusio.

II. Christus Dominus satisfacit ex toto rigore justitiæ, servando omnes conditiones ad id requisitas. Auctores, qui stant pro hac parte videri poterunt in magistro Cabrera hic disp. ix; Nazario controversia II, part. iv; magistro Alvarez hic disp. iv, sect. v et vi. Probatio, et explicatio hujus conclusionis, primo fieri potest in communi, deinde in particulari, discurrendo per omnes conditiones requisitas ad rigorem justitiæ.

III. In communi ergo id ostenditur, quia satisfactio Christi ita fuit perfecta ex parte ipsius, ut orta a tali persona, quæ non indiguerit ulla acceptatione creditoris, vel supplemento favorabili; ergo fuit ex toto rigore justitiæ. Consequentia patet, quia ubi non servantur omnes conditiones requisitæ de rigore justitiæ, aliquid oportet quod suppleatur a creditore, quia ipse potest de rigore juris exigere omnes conditiones: ergo si aliquam non exigit vel est quia servatur, vel quia ipse cedit de suo jure, et remittit rigorem

quem juste poterat exigere; ergo si non eguit satisfactio Christi ulla acceptatione ex parte Dei, servavit omnem rigorem justitiæ. Antecedens vero probatur, quia in Scripturis emper significatur satisfactio Christi, ut facta ex justitia simpliciter, secundum perfectiones justitiæ: ergo non est cur dicamus in aliquo non intervenisse conditiones ad justitiam requisitas, quia si deficerent, non diceretur justitia simpliciter, cum non excederet eam, quæ communiter justitia dicitur inter Deum, et homines.

IV. Quod autem Christi satisfactio simpliciter appelletur justitia, patet ad Roman. III: *Quem proposuit Deus propitiationem fidei per sanguinem ejus, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ suæ, etc.* item ad Colossenses II: *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* In quo intelligitur perfectissima justitia, quia tunc deletur chirographum, quando totum debitum est exhaustum; significatur ergo evacuasse Christum totum debitum peccati: item Psalm. CXXIX: *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* Quam redemptionem copiosam declarat Scriptura per hoc, quod est pro infinitis peccatis, et Joan. II: *Ipsa est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nobis autem tantum, sed totius mundi:* ac denique communiter Scriptura attribuit Christo facere justitiam et justum esse, Jerem. XXXIII: *In tempore illo germinare faciam David germen justitiæ, et faciet judicium in terra:* Isaïæ LI: *Prope est justus meus, egressus est salvator meus, etc.* et infra: *Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet:* et Isaï. X: *Consummatio abbreviata inundabit justitiam, etc.*

V. Quæ locutiones cum sint ita frequentes in Scriptura, et ita exaggerent justitiam, quam Christus Dominus operatus est, verificari non possent si esset justitia indigens supplemento, et favore Dei, et non servans omnem rigorem justitiæ; quod non est simpliciter justitia, sed secundum quid. Et idem communiter sancti patres affirmant asserentes, et exaggerantes satisfactionem Christi, et ipsam justitiam, ut exactissimam prædicantes supra omnes debitum peccati, ut videri potest in auctoribus citatis.

VI. In particulari autem, descendendo ad conditiones requisitas ad rigorem justitiæ, discurremus per singulas conditiones, ostendendo eas convenire satisfactioni Christi: sunt autem quinque conditiones, quas supra disputatione prima, articulo primo, recensuimus. Prima, quod sit ad alterum: secunda, quod fiat satisfactio ex bonis propriis: tertia, quod nullo modo sint sub dominio creditoris: quarta, quod non sint alio titulo debita: quinta, quod creditor teneatur acceptare talem satisfactionem, nec possit aliam exigere. Ad has reducuntur, vel in his includuntur, omnes quotquot ab auctoribus numerantur ad rigorem justitiæ requisitæ.

PRIMA CONDITIO.

QUOD SIT AD ALTERUM.

VII. Difficultas inveniendi hanc conditionem in satisfactione Christi, præcipue consistit in hoc puncto, quod vera, et rigorosa justitia exigit quod sit ad alterum tamquam ad distinctum suppositum; nec solum quasi physice distinctum, sed quasi moraliter, ita quod secundum moralem æstimationem, non reputetur unum tamquam aliquid alterius,